1006

FERIA I. ROGATIONUM.

Anno 1656. 18. Aprilis.

TEXTUS II. Psal. 121.

ESa. 26. v. 2, 3, 4. Quibus verbis, Ecclesiæ canticum describitur, quo gaudium suum indicat, & gratias Deo agit, pro protectione divina, adversus omnis generis hostes & persecutores, & divina hæc protectio sit, civitas munita, murus & propugnaculum. Invitat Ecclesia Dei suos filios & filias custodientes fidem, ut congregentur ad laudandum Deum, pro conservatione pacis patriæ, juxta Dei promissionem. In hoc quoq; Ecclesiæ cantico, adhortatur Ecclesia suos, ut de cætero confidant Domino Deo suo in sempiternum: Siquidem Deus est petra in æternum, cujus potentia & voluntas auxiliandi in tempore oportuno nunquam cessat, quam tamen elicere debemus percutiendo hanc petram, non baculo aliquo ligneo vel ferreo, sed seria ad Deum oratione & precibus, sicut nos docet, Psal. 50, invoca me in die tribulationis & ego exaudiam te, & glorificabis me. Hodie itaq; cum â sereniss. Reg. Majestate, Rege nostro clementissimo, ad utrumq; præstandum sacrificium laudis & precum, clementer & seriò invitamur, gratias agamus Deo, pro mirabili & optabili contra hostes â parte nostra, successu.

Cepit Rex noſter Poloniam & magnum Ducatum Lithuaniæ, non ita multa ſanguinis effuſione; amicitia & pax inter Electorem Brandeburgicum, quæ plurimum quoq; ad hoſtium obſtinatum animum frangendum facere poteſt. Quia vero non dum bellum felicem exitum habere potuit, adhuc minæ & inſidiæ hoſtium animadvertuntur, opus auxilio divino ſine quo nihil fructuoſum, precibus ſollicitanda Dei bonitas, ut ad finem optatum, hoc bellum perducat, Regem reducat, exercitu ſalvo & pacis corona. Ut vero rectius hoc feſtum celebremus, ut cedat in laudem Dei & patriæ emolumentum, divinam gratiam imploremus canentes: Helga Trefaldighect ſtat oß bij. Ut etiam verbum Dei piè meditari queamus, oremus: Pater noſter &c.

Textus. Pſal. 121.

ESt hic Pſalmus unus eorum Pſalmorum, qui habent titulum hunc præfixum: Pſalmus in choro ſuperiori: qui Pſalmi numero ſunt 15. Omnes eximij & egregij Pſalmi, ſive Deum orare placet pro omnibus neceſſarijs ad felicitatem temporalam & æternam, ſive gratias Deo, pro beneficijs agere libet, Ex horum Pſalmorum nume o placuit ſereniſs: Reg. Majeſtati hodierni feſti textum deſumere. Eſtq; inſignis textus precum, exemplum habens ſingulare, in quo etiam certificamur, de precum exauditione, oculi itaq; ad cœlum attollendi ſunt, unde venturum auxilium, videlicet â Domino, qui fecit cœlum & terram. Dominus ſtabiliet pedes noſtros, ne moveantur. Hic non dormit nec domiturit Dominus cuſtodit nos eſtq; umbraculum ad dextram noſtram, ne ſol lædat nos de die, nec luna de nocte, Dominus cuſtodit corpus & animam ab omni malo. Con-

cluſio

clusio Psalmi est: Dominus custodiat exitum & introitum, nunc & in æternum. In hoc textu jubemur juxta præceptum secundum rectè uti sanctissimo Dei nomine, non in vanum, mentiendo vel jurando per illud falsò, sed invocandum illud omni necessitate, & gratiæ agendæ ei. Confirmatur fides nostra in primo articulo: credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Excitamur ad orandum: Pater noster qui es in cœlis, ne nos inducas in tentationem, sed libera nos â malo.

PARTES.

1. *De oratione & precibus Davidis pro seipso.*
2. *De oratione & precibus Davidis, pro alijs & tota Ecclesia Dei.*

PRIMA PARS

In quâ meditamur.

I. Quis orat Deum pro se

ipso & suis rebus, ut in salvo sint. Hoc indicatur primo verbo hujus Psalmi, Ego. Ego attollo oculos meos ad montes. Loquitur hìc David ac dicit: Ego levo oculos meos ad montes. David erat primò quidem, in domo patris sui, non magnæ dignitatis homo, pascebat oves patris sui, sed Deus exaltavit ipsum mirabiliter, & successorem Saulis in regnum delegit & constituit, dedit ei regnum, dedit ei Regios thesauros, magnificentiam & autoritatem magnam, ut inter potentes meritò censeretur. Regum dignitas & eminentia describitur Psal. 82. dixi, inquit Deus, vos Dij estis. Licet David talis & tantus fuerit in mundanis, & præterea

quoq; illuminatus dono prophetico, unde etiam vocatur Rex & Propheta vel Regius Propheta, tamen fatetur se orare & invocare Deum pro auxilio, pro custodia & protectione &c. Itaq; multò magis necessarium ut imbecilles & simplices orent Deum, ut auxilietur nobis.

L. C. Non confidendum viribus prorijs, sed auxilium divinum implorandum; non glorietur sapiens in sapientia sua, non dives in divijs, non fortis in fortitudine sua. Jerem. 9. v. 1. seq. ad 25. vide jud. Bib. Svec. hög, modh Fin: ylpeys.

II. Orandi gestum. Levo, inquit, oculos meos ad montes, unde veniat auxilium mihi.

Naturale est homini, ut sursum aspiciat, facie ad cœlum versa, cum animalia spectent terram. Hic v. potissimum intelligenda oculorum mentis & animi levatio ad Deum. Sicut cæcus Barthimæus oculos levabat ad Christum, animi & cordis. Luc. 18. intendebant vocem suam leprosi dicentes: Jesu præceptor. Luc. 17.

L. C. Quam vis Deus ubiq; sit, supra nos, infra nos & intra nos, in eo nos simus, vivamus & moveamur, tamen potissimum se in cœlo & in nubibus & superioribus partibus mundi præsentem præbet, regularem motum astrorum perpetuum conservando, dando nivem pluviam, rorem, ventos, aeris temperiem. Ideoq, etiam Christus dicit in orationis formula Deum compellandum patrem cœlestem: Pater noster qui es in cœlis, Sanctificetur &c. Ita subfumigationes & thymiata in V. T. dicuntur ascendere ad Deum, in odorem bonæ fragrantiæ Apoc. cap. 8. v. 1. seq. ad 9. Licet a. varij sint gestus corporis in orantibus, quia nullus certus

est

est præscriptus, tamen ostendenda etiam in motu cõporis aliqua reverentia vel humilitas, pro ut locus orandi permittit, Deus vero cor potissimum intuetur. vide ind. Bib. S. Bõn. Fin: Rucous.

III. Montium in orando mentionem.

Levo. inquit oculos meos ad montes, unde veniat auxilium mihi. Sive David intelligat montes circum Jerusalem, ut Zion, Hermon, & ita terrestres montes intelligat, quales montes hodieq; sunt in suis locis, licet civitas ipsa dudum destructa, sive aliquid aliud ut quidam per montem, intelligunt Ecclesiam, juxta illud Esa. v. 1. 2. 3. 4. 5. Sive montem gloriæ æternæ, qui vocatur mons Domini, Psal. 15. Quis ascendet in montem Dei &c. tamen explicatio, quam tradit mox David retinenda: Levavit David oculos cordis cum primis ad Deum, cœli terræq; Dominum & inde speravit & impetravit auxilium.

L. C. Orationes nostræ dirigendæ ad verum Deum conditorem cœli & terræ, non ad idola, qualia describuntur Psal. 115. v. 1. seq. ad 16. non ad sanctos demortuos nam non noverunt nos. vide ind. B. S. Bõn Fin: Rucous pitã tapahtuman ainoan Jumalan tygõ. item the heligas exempel Cuinga pyhät owat rucoillet.

IV. Fiduciam in orando.

Unde venit auxilium mihi, q. d. cum ab hominibus peto auxilium vel consilium, impetro fortassis, sed tale quale est hominis auxilium & consilium, cui ego confidere non possum, siquidem ipsimet homo sum, & humanum nihil â me alienum puto.

L. C. Non nitendum humano auxilio vel consilio. Homines enim sunt infirmi, nec se ipsos juvare possunt. Vide ind. Bib. Fin. Jhmisen ajatuxet ja ajcomiset Wsein harhailewat ja turhasi joutuwat. Auxilium ab impijs non petendum. vide ind. Bib. Ey Christityin pidä tekemän lijto Jumalattomi canssa.

SECUNDA PARS

De intercessione pro Ecclesia Dei.

In quâ meditamur.

I. Intercessionis exauditionis certificationem de divino auxilio, quod Deus sit verè auxiliator futurus in necessitate illius, videlicet Ecclesiæ & totius patriæ, pro qua hic David intercedit & orat. Non permittit Dominus pedem tuum moveri, ita ut vel fugias coram inimicis tuis tempore belli, sicut minatur inobedientibus mandatis suis. Deut. 28. v. 15. ad 27. vel in aliquod vitium & peccatum incidere, qui pedum motus pejor est, quam prior, tum pes noster offendit nos, tunc amputandus Matth. 18. Tales sunt motus pedum ad effundendum sangvinem: de quo Rom. 3. v. 10, seq. ad v. 19. Prov. 1. contra hunc pedum motum orat David. Psal. 17. v. 1. ad 9 Habacuk 3.

L. C. Orandus Deus ut stabiliat pedes nostros in via mandatorum Dei. Psal. 17. v. 5, Psal. 119. v. 27. ad 37. v. 53. ad 61. v. 66. v 94. v. 101. 102. 105 133. Orandus quoq;, ne sinat hostes nostros supra nos dominari & nobis potentiores fieri, ut cogamur in fugam vertere pedes nostros. Cum Davidi tria proponerentur, pœnæ loco eligenda, propter numeratum populum, fames, pestis & persecutio hostium, elegit iram Domini pestem vz, persecutionem verò hostium deprecabatur 2. Sam. 24. contra hostes orat

David

David Psal. 59. v. 2. ad 12. & Psal. 56. v. 2: ad 9. Et addit David quod expertus sit se adjutum contra hostes per serias ad Deum preces, Psal. 59. v. 10. 11. 12. 13. 14.

II. Hujus certificationis causam, quod omninò certi esse queamus, quod non moveatur pes noster. Hanc vero Psalmista allegat causam 1. dicens: Qui custodit te, qui custodit Israël, hoc est Ecclesiam & regnum Davidis, non dormit nec dormiturit. Tribuitur quidem Deo aliquando in Scriptura somnus, sicut etiam de Christo scribit Evangelista Matth. 8. Psal. 78. v. 67. Verùm hunc Dei somnum explicat Salomon cant: cap. 5. v. 2. dormio sed cor meum vigilat. Deus ideò dormire dicitur, quod aliquando differat auxilium, nec preces invocantium videntur ita mox auditæ, aliàs Deus minimè opus habet somno & refectione. Esa. 40. v. 21. ad finem cap. 2. Dominus custodit te, Dominus est umbra tua, ad manum dextram tuam, ne sol noceat tibi de die neq; luna de nocte. Hæc Dei custodia super nos explicatur Psal. 91. vide totum Psalmum. Quoad incommodum diei ex sole, & noctis ex luna, vide v. 5. 6.

L. C. Non dubitandum de divina protectione, saltem desideremus divinam protectionem, cupiamus frui divina defensione, sicut David petit sæpius illam. vide Psal. 91. v. 14. 15. 16. Psal. 23. totus. Psal. 27. v. 1. ad v. 7. Quomodo Deus pro patria nostra vigilaverit & mirabiliter protexerit adversus hostes potentissimos, omnibus notum, verè dicere & carnere possumus Psal. 65. totum. Et Psal. 66. totum.

III. In-

III. Interceſſionis pro Eccle-
ſia & patria, verba. Hæc ita habent: Dominus ſervet te ab omni malo, ſervet animam tuam, cuſtodiat exitum & introitum tuum nunc & in ſecula. Per exitum intelligit Pſalmiſta noſtras actiones & opera, omnes habent ſua opera & labores. Sicut inter apes peculiares ſunt operationes, inter ipſas ita diverſæ, ut nulla earum ſit otioſa. Cum itaq; oramus, ut Deus alicujus exitum cuſtodiat, poteſt intelligi: primò exitus ad laborem & vocationis officium peragendum. Exitus Magiſtratus ad regendum & gubernandum, ad defendendum ſubditos & patriam adverſus hoſtes, Sicut Rex noſter clementiſſimus hac de cauſa exivit cum ſuo exercitu, ad querendum per arma & tractatus pacem benedicente Deo, quod omnes optamus, petentes & obſecrantes, ut Deus hunc exitum cuſtodiat Regiam Majeſtatem & totum exercitum ab omni malo cuſtodiat animam ejus, ut opera ejus non ſint inutilia & labores ejus non ſint ſine fructu, Eſa. 59. Eſau exivit ad venationem & perdidit benedictionem. Ceciderunt Sacerdotes in bello, dum ſine conſilio exiverunt in bellum, Machab. 5. *Precemur* Regi noſtro felicem introitum, optatum reditum, ut animi deſiderio redeat omnibus ad nutum, cum primis ad Dei laudem expeditis.

L. C. Dicamus cum Regio Propheta ex Pſal. 20. v. 2. 3. 4. 5. Pſal. 61. v. 6. ad finem. Pſal. 68. v. 2. 3. Pſal. 72. v. 1. 2. 3. Pſal. 80. v. 18. 19. 20.

Concio I. excusa Anno 1653. vide ibi Fer: I. Text. I. Esa 55.

FERIA II. ROGATIONUM.

Anno 1656. 16. Maij.

TEXTUS II. Nahum. I. v. 7. 8.

ESa. 56. v. 7. Adducam eos ad montem meum sanctum &c. Quibus verbis Propheta loquitur de exercitijs Ecclesiæ Dei, quod populus debeat congregari ad montem sanctum Dei, hoc est in templum. Templum Jerusolimitanum situm erat in monte Moria, loco edito, in quo monte Abraham jussus erat, mactare filium suum Jsaacum, in typum quod aliquando Mundi Messias in civitate Jerusalem, in ara crucis offerendus esset; sicut Jsaacum prohibitus Abraham mactare, & jussus arietem in vepribus hærentem assumere loco Jsaaci. Hic aries captus & mactatus, significabat Christum comprehensum & ligatum ducendum ad mactationem, ut agnum immaculatum, qui tolleret peccata mundi. Joh. 1. 2. Promittit Deus his verbis, se lætificaturum suum populum in domo sua, quam, orationis domum vocat. Et quod velit clementer & placidè respicere ad populi sui hostias & holocausta in altari Dei. Quia, inquit, domus mea, domus orationis est. Unde patet pios conventus in Ecclesia, in templo Domini, non esse vanos & inutiles, nam illic Deus lætificat corda nostra verbo suo, exaudit preces eorum, & laudes eorum,

ut ſvavem odorē accipiat, donatq; eaquæ ad illius nominis gloriam, noſtramq; propriā ſalutem ab illo petimus. Quare non eſt dubium, cum & nos ad Sereniſs: R, M: mandatū in domo Domini & orationis ſimus congregati, ad agendas Deo gratias pro præſtitis beneficijs, præſertim in hoc arduo bello Polonico, & alijs in patriam benignè exhibitis, nec non ad petendum â Deo optatum belli hujus finem, & alia neceſſaria, non dubitemus quin Deo rem gratam præſtemus. Oremus etiam ut hoc feſtum gratiarum actionis & precum, rectè celebrare, & verbum ejus fructuoſè meditari queamus, ut cedant omnia in Dei gloriam, propriam æternam & temporalem ſalutem. Dicamus ergò Helga Trefaldigheet ſtat oß bij. Pater noſter.

Textus Nahum 1. v. 7. & 8.

CAput hoc primum Prophetæ Nahum, unde recitatus textus deſumptus, continet concionem aſperam contra magnam illam civitatem Ninivem, in qua Jonas Propheta quoq; concionatus minans civitati totalem interitum intra quadraginta dies, niſi ſeriò & maturè reſipiſcant. Deſcribitur autem in hac concione multis verbis iræ Dei horribilitas, quod ſit ultor & quidem vehemens vindex, adverſus ſuos hoſtes, qui non obliviſcatur hoſtium ſuorum, & quamvis differat pœnam, non tamen ſcelera ſinit impunita, poteſt punire varijs modis, exſiccat mare & fluvios, tremunt coram eo ſumma & infima. Huic aſperæ & legali concioni interſerit Evangelium dicens: Dominus eſt clemens & propugnaculum in neceſſitate, novit etiam eos, qui confidunt ei, quando fluvius effluxit, finem facit cum eo, ſed hoſtes ſuos perſequitur caligine. Confirmatur articulus fidei noſtræ 1. Credo in Deum patrem omnipoten-

tem

tem creatorem cœli & terræ. Patris natura est, esse clementem & benignum erga liberos suos, defendere eos â malo quantum potest, nosse etiam suos liberos & inquirere, an & quid eis desit, & quibus opus habeant, Pater punit & castigat liberos, sed condonat quoq; prævaricationem, contumaces verò liberos ê domo paterna excludit, & hæreditate privat. Excitamur ad orandum: Pater noster qui es in cœlis, fiat voluntas tua, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, dimitte nobis debita nostra, ne nos inducas intentationem, sed libera nos â malo.

4314

PARTES.

1. *De certitudine & infallibilitate auxilij divini in omni necessitate & calamitate piorum ei confidentium.*
2. *De DEi vindicta contra suos hostes & omnes impios.*

PRIMA PARS

In quâ meditamur.

I. Coram quibus Propheta

concionatur de certitudine auxilij divini in omnibus necessitatibus; id quidem in hoc textu non ita expressum est, in hoc capite tamen circa finem, hoc docetur his verbis: in montibus veniunt boni nuncij pedes nuncians bona, celebra solennitates tuas Juda, & solve vota tua, nequam enim non prævalebit tibi, quia actum est de eo. Concionatur itaq; Propheta populo judaico consolaturq; eos jam obsessos â Rege Sennacherib 2. Reg. 18. v. 19. non desperandum esse de divino auxilio,

quia affuturus sit Deus, & hostem licet potentissimum, repulsurus sit, id quod etiam factum, ut patet, 2. Reg. 18.

L. C. 1. Deus etiam pios homines, Reges & subditos interdum gravioribus Reip. casibus affligit, bello, peste fame &c. Erat Rex Judeæ pius Hischias, cujus pietas describitur 2. Reg. 18. v. 3. 4. 5. 6. 7. nihilominus Rex Assyriæ Sanherib expeditionem sumit sibi, contra munitas urbes Judeæ, & capit illas. Exercitus ejus pars mittitur quoq; Jerusolimam ad devastandum illam; Non mirum quod paulo ante puniverit Samariam per Regem Salmanasser, avehentem populum Samaria, siquidem non obediverunt Domino, transgressi erant fœdus ejus, & omne quod Moses servus Domini præceperat, non fecerunt. Quam vis autem pij erant Subditi Hischiæ & rex ipse, tamen non erant prorsus innocentes, opus habebant castigatione, sed mitiori & paterna, non ad internecionem, sed ad emendationem, castigat suos Deus ne sibi videantur innocentes. Ebr. 12. v. 1. ad v. 16. Ita nos consolemur, in hac patriæ nostræ tribulatione, cum bello impedimur uno post alterum, feramus patienter & fortiter, Deus moderabitur onera nostra, ne ad terram deprimant nos.

L. C. 2. Nahum Propheta exitatur à Deo ad concionandum populo Dei liberationem de manu hostium. Et hìc notandum magnum discrimen, inter conditionem piorum & impiotum in pœnis & afflictionibus. Pijs mittit Deus consolatores pios, verbi Dei præcones, ut judaico populo misit Prophetam Nahum, cujus tempore adhuc vixit Propheta Esajas, qui jam septuaginta annos, in munere prophetico vixerat: Sed populus Samariæ impius nullum Prophetam habuit, & propterea nullam consolationem. Magnam itaq; prærogativam habent

pij præ

pij præ impijs, ut verum deprehendatur illud Apoſtoli 1. Tim. 4. Pietas ad omnia utilis &c. Beati qui timent Dominum, omnes qui confidunt ei. Pſal. 112.

15

II. Concionis conſolatoriæ

partes. Quarum prima eſt: Coṁendatio divinæ clementiæ, bonitatis & mititatis. De hac plurima extant in verbo Dei teſtimonia. Exempla creberrima videexempla talia, Pſal. 106, 105. 107. Altera pars conſolatoriæ concionis eſt, quod Dominus ſit propugnaculū & munimentum vel arx in neceſſitate, Deus in noſtris neceſſitatibus auxiliator eſt fortis, potens eripere nos ex neceſſitate & nos inde liberare. Liberavit Danielem ex ore Leonum, tres viros ex fornace babylonica. Jonā ex undis, ex ventre Ceti &c. Tertia pars concionis eſt, quod Dominus notos habeat ſibi confidentes, in quacunq; neceſſitate conſtituti ſint; non dicit, quod Dominus notos habeat ad ſe clamantes magna voce, ſed confidentes ei, quamvis non clamant. Sicut noverat Deus anguſtiam Moſis, non clamantis ſed tamen gementis ad Deum, confidentis DEO, quod poſſet & vellet auxilium ferre. Quarta pars conſolationis eſt, quod Deus optatum finem faciat anguſtiarum & tribulationum, ut homo liberatus jam ſentiat ſe liberatum, & anſam & cauſam habeat lætandi de ſua liberatione, cum fluvium præterfluxit, finem facit illius ſonitus & fremitus, ut omnia ſint tranquilla. Torrentes magno ſonitu decurrunt, ſed citò exſiccantur, ut nihil poſtea audiatur ſonitus vel ſtrepitus. Ita Chriſtus increpavit mare & fluctus, ut facta ſit tranquillitas. Horum quatuor operum bonitatis Dei exempla occurrunt Pſal. 107. in varijs neceſſitatibus".

L. C. 1. Simus in adverſitatibus noſtris, ſive publi-

cis sivè privatis intrepido animo, confidamus Domino, habemus Dominum qui novit nos & anguſtias noſtras, poteſt etiam nos inde quando ei placet, eripere. Vide Pſal. 90. per totum.

L. C. 2. Afflictiones noſtræ non erunt perpetuæ, ſed erunt inſtar torrentis, qui ex pluvia copioſiori, vel nivium ſolutione & glaciei, citius repletur, ſed perennem aquam non habet. Ad tempus affligimur, eſt momentanea afflictio, ſed parit æternum gloriæ pondus Rom. 8. Deus imponit onus, ſed juvat nos in portando, Deus fidelis, non ſinit nos tentari ſupra vires, ſed facit cum tentatione finem bonum. 1. Cor 10.

SECUNDA PARS

In quâ meditamur.

I. Qui ſint hoſtes Dei. Ho-

ſtes Dei ſunt omnes, qui nolunt eſſe ſub Deo, & humiliare ſe ſub potenti manu Dei, qui nolunt ſuſcipere Jeſum Chriſtum & ejus jugum; quales deſcribuntur Pſal. 2. Hoſtes Dei ſunt Diaboli, damnati illi ſpiritus, de cælo ejecti nunquam recipiendi in gratiam. De obſtinatis peccatoribus dicitur Syrac. 12. v. 1. ſeq. ad 8. Jerem. 30. Plaga inimici percuſſi te caſtigatione crudeli. Eſa. 63. afflixerunt ſpiritum ejus & converſus eſt eis in inimicum. Sunt & illi inimici Dei qui malè tractant pios homines. quales erant Aſſyrij affligentes Judæos.

L. C. Caveamus ab inobedientia & rebellione adverſus Deum, caveamus etiam ne incommodemus aut ægrè faciamus ſervis Dei, pijs hominibus, qui enim hoc faciunt hoſtes, & inimici Dei habentur. Ita hoſtis Dei declaratus Pharao in mari rubro cum toto exercitu op-

preſ

preſſus, quod malè tractavit populum Dei, occidendo eorum infantes maſculos, & imponendo graviſſima ſervitia & onera. Non ergo flocci faciat, ſi noceat pijs hominibus, Deus ultor eſt. Impius Cain putavit neminem ulturum cædem fratris ſui. Saulus perſequebatur Chriſtianos Jeruſolimis, putans ſe rem facere Deo gratam, ſed aliud de ſe judicium à Domino audivit, in terram dejectus. Act. 9.

II. Quis modus Dei puniendi

hoſtes ſuos. Perſequitur hoſtes ſuos Deus inquit Propheta; Deus ad tempus videt intuetur & differt vindictã, ſed cum illi putant DEum oblitũ & non vidiſſe quid fecerint, exſurgit quaſi fortis armatus, obruit eos ut neſciant, quò tendant, ut dicant, utinam eſſent nobis alæ auroræ, ſed nec ſic elabentur: manus Domini, etiam illic eos inveniet. Pharao putavit Deum oblitum omnium injuriarum, quibus populum Dei afflixerat, quia Deus mitius cum eo egit, non ſtatim tradens eum morti, ſed veniens venit ipſumq; in medio mari perſecutus, ibi de medio ſuſtulit. Perſequeaatur DEus hoſtem Judœorum Sennarib, blaſphemum adverſus Deum, reduxit eum in regnum ſuum quaſi annulo in naribus ejus, atq; per manus filiorum ejus vita privavit, ita impletur Prophetia Nahum, cap. 1. v. 11. ad finem cap.

L. C. Perſequitur Deus ſuos hoſtes, nemo dubitet, eſt Deus fortis Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem; timeamus ipſum. Agamus maturè pœnitentiam, humiliemus nos ſub potenti manu Dei durum erit contra ſtimulos calcitrare.

Quid

Quid lucratus Nebucadonosor sua insolentia? amisit rationem factus ut bos errans in Sylvis, demum Dei misericordia liberatus, regno restitutus, didicit humilitatem.

III. Instrumentum Dei,

quo ferit hostes. Persequitur, inquit Nahum, hostes suos Deus caligine, obcæcat mentem eorum, ut errent in consiliis suis, incidant in foveam, quam aliis foderunt, de quo loquitur Deus Deut. 28. v. 28. 29. Tandem proijciet eos in tenebras exteriores, ubi fletus & stridor dentium.

L. C. Ne obduremus & induremus corda nostra, cum vocem ejus audimus, ut convertamur ad ipsum, revertamur ad Dominum fateamur nos errasse, temerè fecisse, & recipit nos bonus ille pater, ut pater filium suum prodigum osculans & amplectens recipit. Luc. 15.